DE METRORRHAGIA POST PARTUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXLVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JACOBUS NEUMARK
POSNANUS.

ADVERSARII ERUNT:
DAVIE, med. et chir. Dr., med. pract.
RITTER, med. et chir. Dr.
BOECKH, med. et chir. cand.

BEROLINI,
TYPIS B. SCHLESINGER.

PARENTIBUS OPTIMIS

DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

NEC NON

FRATRI CARISSIMO, EXPERIENTISSIMO

EDUARDO NEUMARK

OPTIME DE SE SUISQUE MERITO

D D D

AUCTOR

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Omnes mulieres sanguinis jacturae vel majori vel minori post partum subjiciuntur, neque ea semper pro morbosa affectione est habenda, quia et singulari et normali functione uteri oritur. Nullo quidem alio tempore tanta est dispositio ad haemorrhagiam, quam post partum absolutum. Utero enim valde extenso, vasa ejus magis evoluta et amplificata majorem sanguinis copiam continent et sanguinis secretio locum capiat necesse est, si contractionum auxilio ad priorem statum revertitur uterus; magna ejus superficies, cui placenta adhaerebat, pro loco vulnerato est ducenda, actio dein systematis vasorum post partum majori gradu provocata, quod pulsus justo frequentiores et pleniores aliaque phaenomena satis ostendunt, indeque major sanguinis affluxus ad genitalia primis puerperii

diebus, quae omnia dispositionis uteri ad haemorrhagiam momenta existunt essentialia.

Haemorrhagia uteri autem post partum cum alio sanguinis profluvio, lochiis scilicet haud confundenda est, quae quidem si modum excedunt, pro metrorrhagia habenda sunt. Quantitatem tamen sanguinis effusi minoris habeamus momenti. Sanguis sive minore sive majore profluat copia, sive coloris sit genuini et indolis normalis, sive niger, putridus, foetidus, sanguifluxus metrorrhagia est nominandus, dummodo status vasorum morbosus sit, quo valetudo puerperarum turbatur.

SYMPTOMATOLOGIA.

Ut omnis sanguifluxus, ita et metrorrhagia prodromis manifestatur. Praecipue profluvio antecedunt congestiones ad genitalia, gravitas extremitatum inferiorum, tensio, dolor lumborum, dysuria, calor et intumescentia abdominis et genitalium externorum, libido maxima, pruritus perinaei, labiorum pudendi et ani. Saepe etiam status febrilis, horripilationes cum calore alternantès, maxima inquies, pulsus frequens, plenus, fortis et undosus, interdum parvus, spasticus intermittens; praeterea dolores capitis, cordis palpitatio et vertigo accedunt.

Profluvium et quantitate et qualitate multas ostendit differentias. Potest enim unciarum nonnullarum pondus aequare, aut plures etiam libras superare. Temporis spatium, per quod, et vehementia, qua interdum sanguis profunditur, admodum variant. Sanguis

emissus plerumque oxygenatus et fluidus reperitur; in paralysi autem persaepe, oxygenio deficiente, fuscus, coagulatus, niger, si vitia uteri organica adsunt, muco, pure vel sanie commixtus effluit sanguis.

MORBI DECURSUS.

Haud certo dirimi potest, quantum sanguinis sine vitae periculo amitti possit, nam aetas et constitutio aegrotae, nec minus character profluvii momenti sunt maximi. Majore vero sanguinis copia emissa, vel mors repente irruere potest, vel depletionis signa sequuntur. Facies, labia et genae pallent, totum corpus collabitur, pulsus fit debilis, parvus, intermittens, oculus siccus, languidus, caput et manus frigido obteguntur sudore; tunc vel convulsiones vehementes vitam finiunt, vel aegra levibus correpta spasmis mortem obit, vel apoplexia nervosa abripitur.

SECTIO.

Corpora tali haemorrhagia peremtarum externo habitu colorem pallidum per totum corpus diffusum offe-

runt, rarissime tantum ecchymoses parvae oculorum vel extremitatum observantur. Organa omnia sanguine sunt vacua, plexus chorioideus et cerebrum ipsum albi coloris inveniuntur; pulmones collapsi, hepar sine turgore, color ejus flavus in sordidum, pallidum mutatus, cor et majorum vasorum trunci sanguine vacui et collapsi conspiciuntur, utero excepto, qui plerumque vasa sanguifera eo loco, cui placenta inseritur, amplificata ostendit. Praeterea uterum putrescentia correptum, modo admodum laxum, sacci instar, sine tono, modo extensum, densum et justo solidiorem, modo indurationes partiales, imo ossificationes, modo abscessus vaginae, pelvis musculorum et uteri ipsius, denique laesiones uteri ejusque rupturam invenimus.

MORBI VARIETATES.

Status, ex quo omnia profluvia uteri post partum proficiscuntur, duplex esse potest, quippe cui vel dynamica vasorum affectio, vel laesio organica subest.

I. Metrorrhagia ex dynamica vasorum abnormitate oriunda triplici modo formari solet. Secundum

celeberrimum Reilium vel synocha, vel typhus, vel paralysis eam provocant. Pet. Frank, iisdem quidem nominibus haud usus, in re ipsa tamen cum eo consentit, et haemorrhagiam illam per sanguinis secretionem, per anastomosin et paralysin fieri statuit, quod idem ego quoque amplectar.

a. Per secretionem orta metrorrhagia ex aucta secretoria actione extremarum arteriarum sub inflammationis specie proficiscitur. Huic speciei, si modum excedit, inflammatio subesse solet frequentissima, cujus metrorrhagiae haec potissimum signa sunt: febris eam comitans, causae universales, non topicae; ejus denique symptomata similia sunt iis, quae inflammationem cujusdam organi ostendere solent.

b. Per anastomosin quae orta est haemorrhagia, ei semper asthenia subest et in debilitate finium arteriarum cernitur, quae in truncis et ramis vasorum minor est, quo fit, ut eorum finium ostia dilatata sanguinis effusioni resistere nequeant. Febris remittens hanc metrorrhagiae speciem praenuntiat. Sanguis plerumque subito magnaque et vi et copia profluit, symptomata autem non recedunt, sed crescunt et au-

gentur, et quo uberius est sanguinis profluvium, eo magis symptomata crescunt, premunt, urgent, unde spasmi terribiles, vox impedita, delirium, singultus, aut agrypnia aliaque depletionis signa.

c. Per paralysin nata metrorrhagia e maximo debilitatis gradu systematis vasorum praesertim extremorum, pendit: ostia eorum late patent, et sanguinem cordis et majorum arteriarum vi propulsum via aperta prompte emittunt. Ingens sanguinis jactura plerumque hanc metrorrhagiae speciem insequi solet; post nimiam uteri extensionem, persaepe post partum tardiorem etc. foeminas adgreditur.

II. Haemorrhagia ex uteri laesione organica orta semper vasorum continuitatem sublatam praesumi jubet.

Variae sunt metrorrhagiarum post partum divisiones, prout vel differentias essentiales et necessarias, vel potius accidentales et leviores respicimus. Essentialibus pathogenia et character metrorrhagiae summo jure adnumerantur. Pathogeniam, de qua paulo ante sum loquutus, omittens statim ad characterem transeam, quo respecto variae propositae sunt divisiones, ut in hypersthenicas et asthenicas, quae tamen divisio

valde imperfecta mihi videtur. Majoris ponderis divisio in metrorrhagias activas et passivas est habenda; illis activitas vasorum aucta, his paralysis subest; ad illas pertinent metrorrhagiae ex synocha et erethismo, ad has metrorrhagiae paralyticae. Pro divisionis principio quoque metrorrhagiarum originem sporadicam endemiam et epidemiam habuerim. Conjunctio metrorrhagiae aliis cum morbis divisioni in simplices et complicatas dedit ansam. Morbi genitalium locales, ut polypi, scirrhi, carcinomata, dein metritis, in qua pro sanguifluxu critico est habenda, complicationes sunt memoratu dignae. Sufficit vero solum momentum causale ad constiduendam divisionem, ac minor ex hic omnibus utilitas nobis redundat, longeque praestat causam, indolem et naturam morbi curandi cognoscere.

AETIOLOGIA.

I. Metrorrhagiae ex rebus dynamicis profectae causa proxima in actione systematis vasorum et intensive et extensive aucta cernitur. Dispositio in majore vasorum systematis irritabilitate, quam temperamentum

sanguineum imprimis secum fert, in corporis constitutione robusta, in aetate media, dein in diaeta admodum nutriente est collocanda. Causae occasionales sunt: abusus nutrientium, irritantium, aromaticorum, spirituosorum, remedia dolores ad partum provocantia, nec minus major nisus inter partum.

Observare etiam licet dispositionem hereditariam, connatam et acquisitam: affectus et perturbationes animi deprimentes causas occasionales exhibent metrorrhagiae spasmodicae. Quarum etiam causae potissimum sunt habendae: perfrictiones, nimiae corporis exercitationes et labores defatigantes atque perdurantes, praecipue, si sudore extricato virium et humorum prostrationem efficiunt, nec minus aëris constitutio.

Dispositio ad metrorrhagias, quas dicunt dynamicas, denique in constitutione laxa, phlegmatica, debili et exhausta est ponenda.

II. Metrorrhagiae, cui organisatio laesa subest, causas invenimus multiplices.

a. Metrorrhagia et placenta in utero retenta orta, in qua tres praecipue casus sunt distinguendi:

1. Placenta internae uteri superficiei ex parte

adhuc adhaeret, ex parte est soluta. Hic casus in quinta partus periodo reperitur, si vel uteri contractiones justa ad placentam omnino solvendam non gaudent energia, vel si nonnulla placentae adhaerentis puncta abnormi modo cum uteri pariete connectuntur. Haec partialis placentae solutio non per se, sed sanguifluxus ex illo loco, ubi jam placentam invenimus disjunctam, enormi gradu interdum enascens, praecipue est respiciendus, qui modo nullum periculum, modo omnia depletionis signa affert. Interdum vero sanguifluxus caeteris paribus non existit, et placenta naturae viribus adhuc expellitur; alibi plures per dies, hebdomades, menses in utero retinetur, et febriles paroxysmi, metritis, peritonitis, febris putrida, serius cachexiae inde sequuntur.

2. Interdum genitalia paulo post partum siccescunt et lochiorum fluxum inhibent; contractiones uteri tum saepe aliquot sanguinis grumulos cum lochiorum fluxu propellunt, interdum vero hoc efficere haud valent, quare metrorrhagia exoritur occulta, aut morbus multo periculosior ex san-

guinis coagulati dissolutione aegrotam corripit. Cum lochiis enim in puerperio recedentibus ferme omnia febris puerperalis signa puerperas invadunt, quae quidem mox evanescunt, si sanguinis coagula in utero accumulata aut arte, aut novis et iis validioribus uteri contractionibus removentur et lochiorum fluxus restituitur.

3. Metrorrhagiae saepe post irregulares contractiones uteri placentam adhuc retinentis eveniunt. Uterus modo in hoc, modo in illo latere se contrahit et formam retortae similem induit; interdum contractiones circulares in fundo, aut corpore aut collo subit et placentae solutionem retardat eamque retinet. Si contractio circularis in corpore exstat, et omnis placenta in fundo uteri locum tenet, incarceratio placentae completa vocatur; sin altera placentae pars ante hanc stricturam libere prominet, altera post illam includitur, incarceratio placentae incompleta nominatur. Haec incarceratio ex singulari constitutione foeminae ad spasmos pronae, ex causis praegressis, quae spasmos proferre valent, per explorationem internam, si duce

funiculo umbilicali digitum ad stricturam inseris, atque hanc uti orificium secundum invenis, dignoscitur. Quaevis placentae incarceratio anceps et periculosa est censenda, si metrorrhagia aut externa, aut interna eodem tempore existit.

b. Inter morbos uteri organicos, ex quibus metrorrhagia saepe originem ducit, numerandi sunt:

1. Inversio uteri. Quisque inversionis uteri gradus semper metrorrhagiam insignem profert, sive placenta cum uteri superficie interna cohaereat, sive soluta sit. Si metrorrhagia uteri inversionem subsequens modum excedit, primum syncope aegrotam corripere solet, facies deinde magis magisque collabitur, paucisque horis, imo ne his quidem interjectis in hippocraticam abit.

2. Prolapsus uteri, qui vel completus vel incompletus esse potest, et praeter sanguifluxum complura excitat mala, quae ex turbato et impedito sanguinis circuitu et mutato viscerum situ profluunt.

3. Obliquitas uteri, quae in inaequali hujus organi forma constat, et post partum circuitum

sanguinis turbare et varia proferre potest damna: syncopen, haemoptysin, convulsiones, epilepsiam etc., quibus metrorrhagia succedit. In puerperio uteri obliquitas perpetuam metrorrhagiae ansam praebet, quia uteri contractiones perfectas, aequales et normales impedit. Diagnosin sola exploratione, quae manu expedita instituitur, assequimur.

4. Paucis adhuc verbis inter morbos organicos referam molas et polypos, in utero simul cum foetu versantes et post partum vehementes metrorrhagias provocantes, praesertim post partum praematurum, quem ipsa illa corpora adduxerunt. Et ulcera ex inflammatione uteri lente coorta sanguinis profluvium excitant. Imo rarissime puerperium sanguifluxu haud turbatur, si jam prius scirrho vel carcinomate vexabatur aegra.

c. Laesiones traumaticae sanguifluxum provocantes vel in utero ipso, vel in vagina, vel in perinaeo locum habent. Haud raro obveniunt metrorrhagiae post partum ex orificio uterino, quod inter partum foetus capite valde extensum mechanico modo laeditur. Sanguifluxum ex vagina vel varicum vel aneurysmatum

vel vaginae ipsius rupturae adducunt. Perinaei denique ruptura, vel omnibus praeceptis in quarta partus periodo cautissime observatis non potest semper vitari.

PROGNOSIS.

Primum constitutio puerperae respicienda est. Individuis plethoricis non admodum timendae sunt haemorrhagiae, quia criseos instar hic intrant et inflammationum diversi generis, e. g. encephalitidis, peritonitidis, haud raro inter puerperium obviarum, eruptionem impediunt. Foeminae debiles e contrario non sine damno majorem sanguinis perdunt copiam, nam hydropicae affectiones inde haud raro prodeunt. Aetas, quam agunt haemorrhagia laborantes, periculum nec auget nec minuit. Haud parvi momenti autem variae mensium, puerperii praeteriti conditiones sunt habendae; multo majorem enim sanguinis quantitatem sine damno amittere queunt foeminae largiore prius praeditae mensium fluxu.

Decursus graviditatis admodum faustus, partus normalis meliorem prognosin admittunt. Partus per longius tempus protracti, imo artis ope ad finem perducti,

plerumque metrorrhagias vehementes et periculosas secum ferunt. Causas haemorrhagiarum in genere praecipuum in prognosi statuenda habeo momentum, quod a nobis respici debeat. Metrorrhagiis ex plethorico uteri statu natis optimam statuamus prognosin, nisi character inflammatorius in spasticum vel atonicum transmutetur. Laesiones parvae minoris sunt ponderis et rarissime auxilio egent. Partem laesam si respexeris, portionis veginalis rupturae, nullum fere periculum adducentes, saepissime nobis occurrunt; eo majoris vero momenti sunt laesiones fundi et corporis uteri: nam ejus rupturam prope semper mors excipit.

Haemorrhagiae ex inversione uteri, vitam interdum in discrimen vocantes, nisi causa sublata sanari non possunt. In metrorrhagiis, ex polypis, ex carcinomate, vel ex aliis vitiis organicis oriundis, omnia remedia sine successu adhibentur, donec haec vitia organica ipsa removeris. Phaenomena denique metrorrhagiam comitantia haud sunt negligenda, si prognosin statuere nobis est in animo. Si puerpera bene se habet, si copia sanguinis effusi causae et phaenomenis comitantibus respondet, periculi minus est metuendum.

THERAPIA.

Summum curationis momentum in eo constat, ut haemorrhagia et phaenomena eam comitantia tollantur; praeterea medicamenta necessaria et diaeta medico non negligenda, ne sanguinis jactura summum aegrae afferat detrimentum. Praeter maximam animi attentionem, praesentiam et constantiam a medico in metrorrhagiis requiritur, ut celerrime et efficacissime agat, idque eo magis, quod in omni fere uteri haemorrhagia vitae adest periculum et indicatio vitalis omnes alias superat rationes.

Quibus praemissis, ad specialem curationem me convertam, in qua exponenda divisionem metrorrhagiarum supra a me propositam sequar.

I. Metrorrhagia ex causa dynamica profecta.

Ad hanc haemorrhagiam sistendam, si status est plethoricus, haud facile remedia fortiora in usum vocari necesse sit, quia nimiam illa sanguinis copiam minuens pro benigno phaenomeno, pro crisi habenda est. Quies et corporis situs horizontalis plerumque sufficiunt. Metrorrhagia vero non subsistente puerpera subfrigida

sumat potulenta; adhibeantur quoque fomentationes frigidae, injectionesque in vaginam, interne acida mineralia dosibus parvis et per intervalla brevia. Si magna vasorum irritabilitas adest, nitrum cum aqua laurocerasi, digit. purp. etc. porrigantur. Metrorrhagia quando ex statu spasmodico originem duxit, adhibenda sunt externe:

Frictiones leniores abdominis manu ipsa, vel remediis sedantibus, fomenta et injectiones tepidae. Clysmata cum parva opii quantitate a Copeland *) valde commendantur. Interne:

Aegra sumat antispasmodica: Inf. chamomill., meliss., menth., valerian. etc.

Uberius vero omnia remedia sic dicta styptica seu haemostatica excutiam, metrorrhagiae ex atonia medelam exponens, quia et ex aliis causis ortae metrorrhagiae tum majorem, tum minorem curationis similitudinem exhibent.

a. Remedia externa. Usitatissimum remedium lenes ducuntur abdominis frictiones. Si atonia summum obtinuit gradum, unctiones ventris infimi fluidis spiri-

*) Richters chirurg. Bibliothek. T. 14. Sect. 345.

tuosis, volatilibus et unguentis instituendae sunt. Ligaturas extremitatum Petrus Frank commendat. *) Frigidae extremitatum lavationes a Chaussier **) laudantur. Cucurbitarum duarum vel quatuor in utraque mamma positarum jam Hippocrates, ille medicinae pater, mentionem facit. Injectiones in vaginam et uterum, clysmata sic dicta uterina, quae in omnibus fere post partum metrorrhagiis adhibentur: aqua frigida sufficit interdum, sed et fluida magis irritantia applicantur. Utilitas maxima haud neganda est, si ad locum ipsum, qui sanguinem emittit, turundam applicare possumus. Introductio manus in uteri cavitatem, quod Domina Boivin ***) valde ommendat, duplicem praestat effectum, nempe interna superficies partim irritatur partim vasa sanguinem emittentia comprimuntur.

b. Remedia interna. Remediorum internorum magna laudatur copia, nequaquam vero eadem semper desideriis respondens. Primum de remediis illis

---

*) P. Frank de curand. homin. morb. Tom. V. p. 348.

**) Stark's Archiv. Bd. 2. Lit. 3. p. 23.

***) Nouveau Traité sur les hémorrhagies de l'uterus d'Edouard Rigby et de Stewart Duncan, traduit de l'anglais par M. Boivin. Paris 1818. p. 309.

stypticis nonnulla faciam verba. Omnium usitatissimum et celeberrimum sine dubio est tinct. Cinnamom. *) Quo debilior est aegra, quo magis viribus labefacta, extremitatibus frigidis, facie pallida decumbit, eo magis locum obtinet principem. Valde conspicuam efficacitatem in hujus speciei metrorrhagiis acida quoque manifestant mineralia, imprimis acidum phosphoricum, ab Herdero primum commendatum, saepius dein adhibitum et probatum. Si magna asthenia adest, cum oleo aethereo vel tinct. Cinnamom. id conjungas. — Ab antiquissimis jam temporibus alumen in haemorrhagiis cujusvis generis valde collaudatur; si uteri atonia valde conspicua et spasmo haud conjuncta adest, si obstipatio et alii abdominis morbi adstringentium fortiorum usum non contraindicant, alumen omnibus remediis aliis est praeferendum. Sanguis draconis; rad. ratanh., columb., lig. campech., cort. chinae, salic., simarub. etc. remediis quoque adnumerantur stypticis, et saepius in metrorrhagiis commendata atque adhibita sunt. Ut ultimum refugium, si summa sanguinis depletio nec alia causa

---

*) Osiander's Denkwürdigkeiten p. 308.

mortem minatur, transfusionem offert P. Frank, quae periculis circa animalia institutis comprobari videtur.

II. Metrorrhagia ex causa locali profecta.

a. Placenta in utero adhuc versante, ex sanguifluxu indicatio pendet. Contractiones uteri regulares, quae sanguifluxum sedant et placentam solvunt, excitare ante omnia studeamus; quam ob rem frictiones fundi uteri circulares, pressio quidem modica, inunctiones linimenti ammoniati, alcoholis vel naphtha, frigidae fomentationes abdominis etc. adhibeantur; interne tinct. cinnamomi, acida mineralia porrigantur; ceterum omnia sicuti in metrorrhagia atonica instituantur.

b. Reliquiae coagulorum sanguinis vel cotyledonum placentae in utero adhuc restantes.

Quae corpora aliena priusquam sint remota periculum nondum est sublatum, et sanguifluxus et varii uteri morbi insequi possunt, quam ob rem et uteri conditio et quae per genitalia effluant, caute respicienda sunt. Injectiones et inunctiones instituendae, particulaeque minores orificium claudentes caute digitorum vel instrumenti ope amovendae sunt. Remedia interna secundum statum universalem porrigantur.

c. In morbis uteris organicis.

Inversionem uteri quam celerrime reponendi prima est indicatio, nisi inversio ipsa et status puerperae universalis hoc interdicant. Priusquam repositionem aggredimur, interdum statum puerperae universalem aptis remediis internis meliorem reddere nos oportet, si major sanguinis jactura et nervorum irritatio tantam debilitatem adduxerint, ut operatio in summum vitae periculum vocare possit puerperam. Ubi uteri prolapsus adest, normalem in situm eum restituere debemus, perque aliquod tempus situm horizontalem supinum, pelvi elevatiore, servari jubemus, qua ratione sine dubio prolapsus reditum cavemus.

Qui obliquitatem uteri post partum ferme semper sequitur sanguifluxus, aut ut spasmodicus, aut ut atonicus tractari debet.

Polypos vel ligatura vel operatione amovemus. Adversus scirrhum et carcinoma uteri interne antimonial., mercur., aqu. lauroceras., opium, chinam et diaetam nutrientem administramus; externe injectiones infusi herb. cicut., hyosc., chinae, myrrh. etc. adhiberi jubemus.

Laesiones traumaticas cujuspiam vel uteri vel vaginae vel perinaei partis lege artis tractare debemus, ut sanguifluxus inhibeatur. —

LITERATURA.

J. Burns, Practical observations on the uterines haemorrhagies. London 1807. 8.

Madame Boivin, Memoire sur les hémorrhagies intern. de l'utèrus. Paris 1819.

A. E. v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. 3 Th. Frankf. 1811 — 20.

Dietr. Wilh. Heinr. Busch, das Geschlechtsleben des Weibes. Leipzig 1843. Band IV.

C. Canstatt, Handbuch der medicinischen Clinic. Erlangen 1845. Band IV.

Franz A. Kiwisch, Clinische Vorträge über specielle Pathologie und Therapie der Krankheiten des weiblichen Geschlechts. Prag 1847. Abth. 1.

VITA.

Jacobus Neumark, fidei veteri addictus, natus sum anno hujus saeculi decimo nono Zduny, magni ducatus Posnaniensis urbe, patre Nathan, quem ut deu optimus diu conservet, nullo non die rogo atque oro, matre Henrica e gente Fraenkel, quam praematura morte ereptam lugeo. Vratislaviae, quo parentes sese contulerunt, primis imbutus sum litteris. Berolinum tum petii, ibique privata institutione ad studia altiora praeparatus, atque anno h. s. quadragesimo tertio testimonio maturitatis in gymnasio Friderico — Werderano, quod sub auspiciis celeberrimi Bonnel adhuc floret, instructus, ab Ill. de Raumer, penes quem illo tempore fasces academici erant, civibus universitatis adscriptus et apud Ill. Busch, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum, nomen rite professus sum. Per tria semestria postquam hic litteris medicis studui, almam litterarum sedem Vratislaviensem adii, ubi ab Ill. Pohl inter cives academicos et ab Ill. Benedict inter studiosos medicinae receptus sum. Post unum et dimidium annum Berolinum redii, ibique ab Ill. Trendelenburg in numerum civium academicorum receptus,

Ill. Hecker, t. t. medicorum ordinis decano maxime spectabili, rite nomen dedi.

Per hos quatuor annos et dimidium interfui:

1. Berolini

A. Scholis philosophicis hisce:

Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Beat. Turte et Ill. Dove de physice experimentali; Ill. Kunth de botanice; Ill. Schultz de historia naturali; Cel. Werder de logice; Cel. Beneke de psychologia; Ill. Lichtenstein de zoologia.

B. Scholis medicis:

Ill. Mueller de anatomia organorum sensuum; Ill. Schlemm de osteologia; Ill. Hecker de encyclopaedia medica.

2. Vratislaviae.

Ill. Barkow de anatome corporis humani, de anatomia comparata et pathologica; Beat. Otto de historia foetus; Ill. Purkinje de physiologia; Cel. Duflos de chemia pharmaceutica; Ill Göppert de materia medica, de arte formulas medicas rite concinnandi; Cl. Klose de therapia generali, de morbis psychicis; Ill. Henschel de pathologia generali, de encyclopaedia medica; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de fasciis et instrumentis chirurgicis rite applicandis, qui idem in clinico chirurgico dux mihi fuit; Ill. Betschler de gynaecologia universa et de arte obstetricia. In theatro anatomico Ill. Barkow magister mihi fuit praeclarus. Ceterum Ill. Remer duce usus

sum in clinico medico. Praeterea audivi Cel. Remer de morbis syphiliticis disserentem. Denique Exper. Dr. Reyman, Dr. Benedict in exercitationibus clinico-practicis benigne me adjuverunt.

3. Berolini adii scholas:

Ill. Romberg de therapia speciali, policlinicum medicum; Ill. Hecker de medicinae historia; Cel. Ideler de morbis psychicis; Ill. Juengken scholas clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas. Insuper Cel. Wolff et Ill Schoenlein duces mihi in clinico medico fuerunt; Ill. Busch in clinico obstetricio magistro usus sum benevolentissimo.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis gratias quam possum maximas nunc ago semperque habebo.

Jam et tentamine philosophico et medico atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut hac dissertatione cum thesibus palam defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Placentae solutio plurimis in casibus naturae est relinquenda.

2. Morbi contagiosi sensim sensimque mitiores fiunt.

3. Hysteria et hypochondria sexu tantum modificantur.

4. Febris intermittens num in systemate nervoso an in sanguifero locum habeat principem, dijudicari non potest.

5. Contagium syphiliticum conditionibus, quamquam ignotis, faventibus nasci potest.